Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

lijs civitate arelatensi. Sancti Hylarij
episcopi preclarissimi viri. qui paupertatis amator et erga inopum provisionem
non solum mentis pietate. sed et corporis sui
labore sollicitus erat. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticacionem
contra vires suas homo generis clarus
exercuit. Sed nec in spiritalibus neglexit. Ista et in docendo gratiam huiusmodi et
absque personarum accepcione omnibus
castigacionem ingessit. vitamque sancti Honorati decessoris sui composuit. moritur sub valentiniano et marciano imperatoribus. Et sancti Gothardi
episcopi et confessoris. ij. Nonas Maij.

G. xvj. Natale sancti Johannis apostoli ante portam latinam. qui ab ephezo iussu domiciani fratris titi secunda persecucione quam ipse post Neronem exercuit. ad urbem romam perductus presente senatu ante portam latinam in ferventis olei dolium missus est. Sed beatus apostolus tam liber a pena interiit quam a corrupcionibus carnis fuerat inmunis. Tunc in pathmos insulam relegatus est exilio ubi apokalipsim vidit. Ad commendandam quoque ipsius dignam memoriam et pro fidei apostolice constancia christiani ecclesiam venerationem eius gestantem in supradicto loco ante portam latinam preclaro et mirabili opere construxerunt. et festivum commercium pridie nonas maij usque hodie faciunt. Eodem die beati Euodij antiochie episcopi et martiris. qui primum ab apostolis ibi est ordinatus. Item beati Lucij. qui apud cyrenen primus episcopus a sanctis apostolis institutus est. None Maij.

A. v. Natalis sancti Iuvenalis martiris et beate domicille virginis. Que cum esset flavij clementis consulis ex sorore neptis et a sancto clemente sacro velamine ob integritatis perseveranciam consecrata persecucione domiciani ob testimonium quod christo perhibebat cum alijs pluribus in insulam ponciam exilio deportata longum inibi martirium duxit. Dehinc ad terracinam urbem translata primo Eufrosinam et theodoram. deinde alios ad fidem christi convertit. novissime autem martirij sui cursum prefatis virginibus consummavit sub persecucione Traiani ubi morabantur clause in carcere. In facies enim suas prostrate orantes dominum recesserunt. Quarum corpora sanctus Cesarius dyaconus in sarcophago novo simul condens in pro